

Figentem dubia incerto vestigia gressu ;  
 Dum pavidos telo damas , cervosque fugaces ,  
 Aut aprum , aut summis agitaret montibus ursum .  
 Non æstus , medio quamvis Sol ardeat Axe ,  
 Assuetum , non hosce pedes via longa fatigat .  
 Impulit ipsa avidum genitrix quoque: perge:tuendam ,  
 O Lycida , mihi linque domum : sat adulta capellas ,  
 Inquit , aget soror ad fontem , atque ad pascua tuta .  
 I tu , namque potes , juvenum quo confluit omnis  
 Turba frequens , longosque novans desueta per annos  
 Festa agitat , variisque exercet corpora ludis .  
 I , Lycida , & memori sub pectore singula conde  
 Observans , narrabis enim , quoque ordine , quique  
 Certarint juvenes , cui sors arriserit , & quæ  
 Quisque domum tulerit meritæ data præmia palmae .  
*Tyt.* Scilicet hinc , Lycida , & jaculis oneratus acutis  
 Circumfers arcumque humero , pharetramq; sonantem ;  
 Jamque animo annosque defixa in vertice pinus  
 Signa petis , palnia gestis jam viator adepta .  
*Lyc.* Haud equidé abnuerim ; stimulos namq; ipsa volenti  
 Addidit , & palmae genitrix incendit amore .  
 Sume , inquit , nam prima dies , si rite vetusti  
 Servantur mores , jaculo , volucrique sagittæ  
 Debita , sume , puer , jaculum , volucremq; sagittam ,  
 Arcumque , pharetramque olim viatoris Amyntæ .  
 O ! mihi si tantum tribuant bona numina , si te  
 Excipiam merita neftentem tempore lauro ,  
 Felix , ah nimium ! & figentem ditia tefto  
 Dona rudi ; quo , care puer , quo brachia nexu  
 Adstringens collo hæcerem ! quæ dulcia fronti  
 Oscula mille darem ! propera , puer , otia rumpe  
 Pigra celer , sacrumque vola pharetratus ad antrum  
 Hæc genitrix : imas agitat mihi flamma medullas .  
 Et jubet alipedes cursu prævertere ventos .  
 En adsum : tu Myrhæo , tu Tytire , siste :  
 En adsum , & jaculo certare paratus , & arcu .

*Tyt.*